

Dekret der Kongregation für Ablässe und der heiligen Reliquien vom 25. August 1897

"Cum hisce temporibus poene innumerae exortae sint in Ecclesia pia Uniones seu Societates, quae etsi quandoque Confraternitatum nomine decorentur, nihilominus inter veras et proprie dictas Confraternitates minime sint recensendae; merito dubitatum est, an leges, quae a Constitutione Clementi VIII, quae incipit: 'Quaecumque', pro Confraternitatibus et Congregationibus iussae sunt, novis istis piis Unionibus seu Societatibus forent applicandae. Quaestio insuper mota est pro nonnullis Confraternitatibus ad Regulares Ordines pertinentibus, quoad consensum Ordinariorum, cum illae in Ecclesiis eorumdem Regularium Ordinum eriguntur. Quare huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia dirimenda sunt exhibita:

I. - An Piae Uniones seu Societates, quae sub Confraternitatum et Congregationum nomine minime veniunt, comprehendantur sub sanctionibus Constitutionis Clementis VIII, quae incipit 'Quaecumque'?

II. - An ad erectionem Confraternitatum, puta Sanctissimae Trinitatis, Sanctissimi Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, vel n. Virgine Perdolente, aliarumve huiusmodi, quae a Religiosis Ordinibus in suis respectivis Ecclesiis eriguntur, necessarius sit Ordinarii consensus?

Et Emi Patres in Vaticanis Aedibus, in generali Congregatione coadunati sub die 5 Augusti 1897 ad proposita dubia responderunt:

Ad I um: Affirmative, quoad erectionem seu institutionem, quoad approbationem statutorum, quoad aggregationem et quoad publicationem Indulgentiarum.

Ad II um: Sí agatur de Confraternitatibus proprie dictis, id est ad modum organici corporis et cum sacco constitutis, Affirmative: si de Confraternitatibus late acceptis, satis provisum per consensum praestitum ab Ordinario pro erectione Conventus Ordinis in Dioecesi.

De quibus omnibus facta SSmo Dno Nostro Leoni Pp. XIII relatione, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 25 Augusti 1897, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum approbavit."

Quellen:

Decretum Urbis et Orbis de erectione et aggregatone piarum Unionum seu Societatum etc. vom 25. August 1897, in: Acta Sanctae Sedis 30 (1897/1898), S. 276 f., in: www.vatican.va (Letzter Zugriff am: 13.10.2017).

Empfohlene Zitierweise:

Dekret der Kongregation für Ablässe und der heiligen Reliquien vom 25. August 1897, in: 'Kritische Online-Edition der Nuntiaturberichte Eugenio Pacellis (1917-1929)', Schlagwort Nr. 1343, URL: www.pacelli-edition.de/Schlagwort/1343. Letzter Zugriff am: 24.11.2024.